

Ob 12



# INDEX LECTIÖNUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XXI. APRILIS ANNI MDCCCLXXIII.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDEDIT ANDREAE MENZEL COMMENTATIO: S. IRENÆI DOCTRINA DE PARTIBUS  
HUMANÆ NATURÆ.

---

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNÉANIS.


1873



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. J O S. B E N D E R,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS  
RECTOR ET SENATUS

### CIVIBUS SUIS

S.

Optimo jure libri nuper de s. Irenaeo editi<sup>1)</sup> doctus auctor Henricus Ziegler, quo operis sui opportunitatem satius probaret, in praefatione affirmare potuit, illum Lugdunensem episcopum recentiore quidem tempore mirum in modum neglectum jacuisse; namque ceteros ecclesiae antiquae scriptores, quorum nomina aliqua ex parte celebrarentur, cunctos a viris doctis accuratius et propriis scriptis tractatos esse, unum Irenaeum carere adhuc peculiari tractatione, quae et vitam et scripta et doctrinam ejus una amplectetur; praeteritorum autem saeculorum opuscula, quamvis magna cum cura et diligentia, partim etiam subtiliter et ingeniose elaborata, in quibus clarissimi operum s. Irenaei editoris Massueti dissertationes in libros ejusdem summe eminerent, conditioni hodiernae scientiae artisque res antiquas perscrutandi atque aestimandi minime satisfacere.

Nimirum s. Irenaeum in ecclesia saeculi secundi exeuntis auctoritate plurimum valuisse, magnumque opus, quod adversus haereses scripsit, ad illius aetatis doctrinam ecclesiasticam moresque illustrandos gravissimi esse momenti, omnibus jam exploratum est atque etiam ab ipso Zieglero agnoscitur, quamquam hic parum sibi constans, ut mihi quidem videtur, certo prorsus injuste, homini ipsi, cuius vitam et scripta insigni studio multaque diligentia persecutus est, aliquam notabilem ac praecipuam ingenii facultatem adjudicare dubitat (p. IX). Revera s. Irenaei totus vitae cursus talis fuit, ut ille vir communis Christianorum fidei, quae tunc vigebat, testis locupletissimus et quasi imago existat. Natus enim et educatus in partibus Asiae minoris, a discipulis apostolorum, imprimis a s. Polycarpo, martyre et episcopo ecclesiae Smyrnaeae celebratissimo, qui etiam Joannem apostolum ipse audierat, religione Christiana institutus, Graecarum denique literarum, praesertim operum philosophorum et poetarum, haud ignarus, postea, jam longius aetate proiectus, in Gallia nobis occurrit primo ut membrum cleri Lugdunensis, deinde ab anno 178 ut ejusdem ecclesiae episcopus, qui saeva imperatoris Septimii Severi persecutione anno 202 coelestem martyris coronam nactus est. Irenaeum nostrum, dum Lugduni vitam degeret, non solum hujus episcopatus et regionis adjacentis, sed totius Occidentis ecclesiasticas res cura atque laboribus suis complexum esse, imprimisque cum ecclesia Romana, cuius

<sup>1)</sup> Irenaeus, der Bischof von Lyon. Ein Beitrag zur Entstehungsgeschichte der altkatholischen Kirche von Heinrich Ziegler, Gymnasiallehrer. Berlin, 1871.

„potiorem principalitatem“ tantopere extollit, sustinuisse conjunctionem intimam, e scriptis ipsius, quae quidem ad nos pervenerunt, et aliorum auctorum mentionibus compertum habemus; eundemque Orientalis quoque ecclesiae, unde exierat, vicissitudines non minori studio prosecutum esse, ipsum opus ostendit, quod ad refellendas Gnosticorum haereses, quae maxime in Oriente grassabantur, mira contortorum placitorum notitia magna subtilitate et justo rerum judicio exaravit.

Jam vero si quaeras, cur homines docti, praesertim ii, qui Protestantium fidei addicti sint, quum religionis Christianae origines et Patrum ecclesiae scripta, quae exstant, tanta diligentia et eruditione perscrutati sint, non eandem specialem operam in s. Irenaei, viri gravissimi, scriptis pervestigandis impenderint: ejus rei causa non omnis videtur in illius scriptoris difficultate et obscuritate sita esse, quamquam concedendum erit, librorum adversus haereses e Graeco in Latinum sermonem ad verbum quidem, sed asperime, translatorum conditionem, ipsumque argumentum, quod magna ex parte in haereticorum abstrusis figmentis vertatur, literati hominis animum non valde posse allicere. Alia sane non levioris momenti causa, quapropter s. martyr Lugdunensis justo plus a scriptoribus theologicis neglectus est, in ipsa, quae nunc viget, initia religionis Christianae investigandi ac judicandi ratione est quaerenda, cui tota Irenaei indoles magnopere aduersetur necesse est.

Ex quo enim a rerum antiquarum scrutatoribus postulabatur et tanquam suprema scientiarum lege sancitum erat, ut veritatis cognoscendae causa solemnis piorum hominum persuasio, religionem Christianam divinitus institutam esse, summamque a Deo patefactarum doctrinarum per Christi apostolos integrum ad nos pervenisse in suo quidem genere amplificatam, non autem permutatam<sup>1)</sup>, non solum in severissimum judicium vocaretur, verum etiam ante omnem disceptationem pro falsa et commenticia acciperetur, illis eruditis viris jam injunctum erat, ut ortum et incrementum religionis, quae faciem orbis terrarum transformaverat, ex communibus rerum causis et legibus deducerent explicarentque. Quo igitur temporum, quibus religio Christiana cepit originem, notitia erat obscurior ipsaque originis documenta literaria rariora et minus luculenta, eo commodius atque etiam audacius conjecturis et praedjudicatis opinionibus negotium confidere poterant praesumere. Eodem prope modo, quo recenti tempore totius rerum naturae et generis humani principia a rerum naturalium indagatoribus tractantur, illi primordia religionis et ecclesiae Christianae commentati sunt. Non in animo est, de ratione vel licentia, qua rationalismi qui dicitur vulgaris sectatores et postea theologi philosophia speculativa imbuti novi Testamenti libros tractaverint, hocloco plura verba facere, est enim praeterea res notissima; sed et priscorum Patrum ecclesiae scripta pari modo tractaverunt. Illorum quidem opinio, cuius ipse Petavius, vir doctissimus, fautor aliquatenus exstitit, cuique postea Souverain (le Platonisme dévoilé) prae ceteris patrocinatus est, nempe doctrinam ecclesiasticam magna ex parte placitis philosophorum Platonicorum excultam esse, jam a plurimis rejecta et explosa est; at scholae Tubingensis quae vocatur doctrina, ex qua fides catholica ecclesiaque acerrimis discepantium partium contentionibus, quae apostolorum et proxime sequenti tempore evenerint, orta existimatur, etiam nunc multum auctoritatis habet et in originum Christianarum investigationem quasi dominatur. Quorum omnium commune vitium est, quod rerum ad fidem et cultum religionis pertinentium mentiones, primo in reliquiis veterum scriptorum obvias, fere non pro vigentis tunc temporis fidei vel cultus testimoniis accipiunt, sed pro ipsis eorum initiis primisque germinibus et fontibus.

Tali videlicet principia rerum Christianarum tractandi generi, fullo magnam partem arbitriis conjecturis et opinionibus, nullo modo potest convenire vel arridere noster Irenaeus, quippe qui per magistros suos cum ipsa aetate apostolica tam arce cohaereat, qui deinde toto vitae cursu cum diver-

<sup>1)</sup> Vincentii Lir. Comm. Cap. 28.

sarum regionum ecclesiis consuetudinem habuerit, qui praesertim opere amplissimo contra haereticos scripto doctrinae ab apostolis Christi acceptae et in omnibus ecclesiae universalis partibus depositae religiosissimeque servatae fidissimus testis et non minus prudens quam strenuus defensor ac propugnator appareat. Cui autem de divina religionis Christianae institutione et de imminuta fidei apostolicae in ecclesia continuatione persuasum est, qui ergo s. Irenaei scripta eo sensu accipere et intelligere potis est, quo ab auctore manifesto sunt cogitata et edita, is vel miram quandam et inopinatam doctrinae theologicae altitudinem et nostrae Catholicae concordem fidem in martyris Lugdunensis libris reprehendet, modo ne postulet, ut scriptor saeculi secundi, quum de difficillimis fidei dogmatis disserat, illo orationis delectu subtili vel etiam illis loquendi formulis et vocabulis technicis utatur, quae apud theologos scholasticos medii aevi et temporis posterioris inveniuntur.

Ut jam ea, quae hucusque generatim a me disputata sunt, aliquo specimine et exemplo confirmantur illustrerenturque, in proposito nunc quidem est, s. Irenaei doctrinam de partibus naturae humanae breviter expondere.

I. Verbis igitur claris et brevibus s. Irenaei de partibus, ex quibus humana a Deo creata natura constet, sententia expressa est in opere scripto adversus haereses lib. V, c. 8, n. 2 (ed. Stieren): „Substentia nostra, id est, animae et carnis adunatio“. Praestantior vero ambarum (hominis) partium habenda est anima, ibid. lib. II, 33, 4: „Non enim est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur et vivificatur et augetur et articulatur, sed anima possidet et principatur corpori... Corpus enim organo simile est, anima autem artificis rationem obtinet“. Ac debetur jure ejusmodi principatus animae, quoniam Deus omnipotens illam ratione et libero arbitrio praeditam condidit, lib. V, 1, 3: „Ab initio plasmationis nostrae in Adam ea quae fuit a Deo adspiratio vitae, unita plasmati animavit hominem, et animal rationale ostendit“. Quibus addenda sunt, quae continentur lib. IV, 37, 1: „Liberum eum (hominem) Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie et non coactum a Deo“. Verum etiam immortalitatis donum in praerogativis animae humanae a s. Irenaeo recensetur lib. V, 13, 3: „Nec enim anima mortalis“. Adde lib. V, 7, 1: „Haec (caro) enim est, quae moritur et solvit, sed non anima neque Spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem et sine spiramine in posterum et inanimalem et immemorabilem fieri, et deperire in illa, ex quibus et initium substantiae habuit. Hoc autem neque animae evenit: flatus est enim vitae, neque Spiritui.... Superest igitur, ut circa carnem mors ostendatur, quae posteaquam exierit anima, sine spiratione et inanimal efficitur, et paullatim resolvitur in terram, ex qua sumta est. Haec igitur mortalis“. Attamen immortalitatis causam principalem Irenaeus noster cum quibusdam aliis ecclesiae Patribus et theologis non in ipsa animae natura et substantia sitam statuit, sed totam in Dei creatoris omnipotenti voluntate reponit lib. II, 34, 2: „Sine initio et sine fine, vere et semper idem et eodem modo se habens solus est Deus, qui est omnium Dominus. Quae autem sunt ab illo omnia, ... inferiora sunt ab eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita; perseverant autem et extenduntur in longitudinem saeculorum secundum voluntatem factoris Dei... n. 4: Sicut autem corpus animale ipsum quidem non est anima, participatur autem animam, quoadusque Deus vult: sic et anima ipsa quidem non est vita, participatur autem a Deo sibi praestitam vitam“. Etiam paulo superius n. 3: „Non enim ex nobis, neque ex nostra natura vita est, sed secundum gratiam Dei datur“. Neque id quidem hoc loco praetereundum esse videtur, quod s. Irenaeus in ejusdem capituli tenore (n. 1) ex narratione evangelica de Lazaro paupere et homine diviti (Luc. 16, 19 sqq.) colligit: „et perseverare animas et non de corpore in corpus transire; et habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur et meminerint eorum, quae sint hic“. Quam satis miram de substantia animae opinionem clarius explicat lib. V, 7, 1: „Incorporales animae, quantum ad comparationem mortalium corporum. Insufflavit enim in faciem hominis Deus flatum vitae et factus est homo in animam viventem; flatus autem vitae incorporalis“. Sed ejusmodi opinio, quae apud alios quoque

nonnullos illius aetatis scriptores invenitur, non tam error fidei vel religionis, quam cogitandi vel philosophandi defectus censendus mihi quidem videtur esse. Quid? quod Tertullianus ipsi summo Deo, qui spiritus absolutus est, „corpus sui generis“ tribuere non dubitat? Confundit enim manifesto corporis vocabulum cum notione substantiae sensu philosophorum, si, de carne Christi cap. 11, scribit: „Omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est“.

Summam denique dotum et bonorum, quibus Deus optimus hominis naturam instruxit, s. Irenaeus cum ceteris ecclesiae Patribus et theologis comprehendit illis universorum conditoris verbis (Gen. 1, 26): „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ κατ' ὅμοιόσιν)“. Proprium autem Irenaei est, et in hoc eum non omnes pariter secuti sunt, quod trita illa sacrae Scripturae locutione, imaginis et similitudinis certam distinctionem statuens, non solum ad rationem, quae inter partes naturae humanae, verum etiam quae inter hominem ex nihilo conditum et ipsum non creatum Deum, illius summum bonum et finem supremum intercedit, probe describendam utitur. Placet jam illum loquendi usum primo paulisper accuratius considerare, quatenus solum hominem meraeque naturae humanae partes respicit.

Itaque homo, secundum s. Irenaeum, corpore suo, quod solet carnem (*σάρκα*) atque etiam saepius plasma (*πλάσμα*) appellare, imaginem Dei (*εἰκόνα τοῦ Θεοῦ*) repreäsentat, at vero anima, quae maxime ratione corpus superat, Deo est similis (*ὅμοιος τῷ Θεῷ*). Haec primum hominis cum Deo similitudo, quae in anima sita est, exhibetur lib. adv. haer. IV, 37, 4: „Liberae sententiae ab initio est homo, et liberae sententiae est Deus, cui ad similitudinem factus est“. Tum parabolæ de palea a frumento secernenda (Matth. 3, 12) habito respectu, lib. IV, 4, 3: „Sed frumentum quidem et paleae inanimalia et irrationabilia existentia naturaliter talia facta sunt; homo vero rationabilis et secundum hoc similis Deo liber in arbitrio factus et suae potestatis ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat“. Ut imaginem porro Dei s. Irenaeus carnem humanam tam saepe affert, ut supervacaneum videatur, id peculiaribus scriptoris dictis hoc loco ostendere. Nec illud quidem longa demonstratione indiget, auctorem nostrum, quippe qui de divina substantia et natura rectissime sentiat, illam disserendi formulam minime Audianorū haereticorum sensu intelligere. Potest enim corpus humanum, quod solum e duabus hominis partibus in conspectum oculorum cadit, suo jure imago Dei appellari, quia in eo maxime summa Dei potentia, sapientia, bonitas, majestas conspicuae sunt et quasi sensibus percipiuntur; sicut omnino homo ad hanc sortem destinatus est, ut sit „exceptorium bonitatis et organum clarificationis Dei“ (adv. haer. IV, 11, 2). Potissimum autem s. Irenaeus hominem etiam secundum carnem Dei imaginem nuncupat respiciens Dei filium unigenitum, qui ex sapientissimo Patris consilio aeternoque decreto tempore praefinito hominis naturam assumxit; quae cogitatio elucet lib. V, 16, 2: Ἐν τοῖς πρόσθετοι χρόνοις ἐλέγετο μὲν κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγονέναι τὸν ἀνθρωπὸν, οὐκ ἐδείκνυτο δέ. Ἐτι γὰρ ἀόρατος ἦν ὁ Λόγος, οὐ κατ' εἰκόνα ὁ ἀνθρωπὸς ἐγεγόνει. Eadem sententiam apud magistros scholæ Alexandrinae invenimus, e quibus Clemens (coh. ad gentes) haec exhibet: Ἡ μὲν γὰρ τοῦ Θεοῦ εἰκὼν ὁ λόγος αὐτοῦ . . . εἰκὼν δὲ τοῦ λόγου ὁ ἀνθρωπὸς. Atque etiam Tertullianus scribit adv. Prax. cap. 12: „Quibus faciebat (Deus hominem) similem? Filio quidem, qui erat induitus hominem etc.“

II. Praeter eam, quam adhuc proposuimus de partibus hominis et de divina imagine et similitudine in eodem conspicua doctrinam, etiam alia quaedam docendi forma permultis librorum adversus haereses, praesertim libri quinti locis traditur, quae primo quidem aspectu illi contraria esse videtur. Sufficiet hac de re sequentes potissimum locos attulisse: lib. V, 6, 1: „Glorificabitur autem Deus in suo plasmate, conforme illud et consequens suo puero adaptans. Per manus enim Patris, id est, per Filium et Spiritum fit homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis. Anima autem et Spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam; perfectus autem homo commixtio et adunitio est animae assumentis Spiritum Patris et admixta ei carni, quae est plasmata secundum

imaginem Dei.... Quum autem Spiritus hic commixtus animae unitur plasmati; propter effusionem Spiritus spiritualis et perfectus homo factus est, et hic est, qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animae Spiritus, animalis est vere, qui est talis, et carnalis derelictus imperfectus erit imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem non assumens per Spiritum". Ibidem c. 9. n. 1.: „Sunt tria, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et Spiritu; et altero quidem salvante et figurante, qui est Spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro; id vero quod inter haec est duo, quod est anima; quae aliquando quidem subsequens Spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id, quod salvat et format, et unitatem non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis; quippe qui non habent Spiritum Dei in se. Propter hoc autem et mortui tales sunt a Domino. Sinite, enim inquit, mortuos sepelire mortuos suos (Luc. 9, 60); quoniam non habent Spiritum, qui vivificet hominem". Denique paulo inferius, verborum Pauli apostoli (1. Cor. 15, 47 sqq.) habito respectu, n. 3: „Quid est ergo terrenum? Plasma. Quid autem coeleste? Spiritus. Sicut igitur, ait (apostolus), sine Spiritu colesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo: sic nunc accipientes Spiritum, in novitate vitae ambulemus, obedientes Deo".

Ex toto locorum, quos transscripsi, tenore neque minus e singulis auctoris verbis et locutionibus, quae etiam saepius apud illum recurrunt, evidentissime elucet et ab eruditis quoque viris recentioris temporis fere omnibus conceditur<sup>1)</sup>, s. Irenaeum hic nullo modo illam philosophorum Platonicorum trichotomiam humanae naturae profiteri, sed Spiritus, quem tertio loco ut partem hominis commemorat, nomine ipsum Spiritum sanctum, tertiam ss. Trinitatis personam significare, fontem illum, ut theologorum oratione utar, gratiae divinae supranaturalis, qua homo, ex anima et carne naturaliter compositus, adjutus supra creatam suam naturam ad supranaturalem perfectionem et mysticam cum Deo unionem, in qua ipsius finis consistit, elevatur. Sed etiam ob ipsam vocabulorum significationem perfectus homo τέλειος ἄνθρωπος, de quo in nostro contextu disseritur, sensu morali, non naturali intelligendus est<sup>2)</sup>. Expressis autem verbis s. Irenaeus animam hominis, quam hic πνοὴν ζῶῆς vocat, a. s. Spiritu dignoscit lib. V, 12, 2: "Ετερόν ἐστι πνοὴ ζῶῆς, ἡ καὶ ψυχικὸν ἀπεργαζομένη τὸν ἄνθρωπον καὶ ἔτερον πνεῦμα ζωοποιοῦν, τὸ καὶ πνευματικὸν αὐτὸν ἀποτελοῦν .... Τὴν μὲν πνοὴν παντὶ κοινῶς τῷ ἐπὶ γῆς λαῷ φῆσας (Ησαίας 42, 5) δεδόσθαι· τὸ δὲ πνεῦμα ἰδίως τοῖς καταπατοῦσι τὰς γεώδεις ἐπιθυμίας.

<sup>1)</sup> Conf. prae ceteris L. Duncker, des h. Irenaeus Christologie im Zusammenhange mit dessen theologischen und anthropologischen Grundlehren. Göttingen 1843. p. 78 sqq. — C. A. Kahn, die Lehre vom heiligen Geiste. I. Halle 1847. p. 255 sqq. — F. Wörter, die christliche Lehre über das Verhältniss von Gnade und Freiheit von den apostolischen Zeiten bis auf Augustinus. Freiburg i. B. 1856. p. 140 sqq. — A. C. Semisch in opere, quod sub titulo „Justin der Märtyrer“ Vratislaviae a. 1840 et 42 edidit, T. II, p. 363 adhuc Irenaeum in numero trichotomistarum reponit. Nimurum martyrem Justinum eodem loco habet, potissimum propter ejus effatum in fragmento de resurr. c. 10: *Oἶκος γάρ τὸ σῶμα ψυχῆς, πνεύματος δὲ ψυχῆς οἶκος* — justo magis, ut mihi videtur, vilipendens ea, quae ibidem c. 8 leguntur: *Τί γάρ ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ᾽ ἡ τὸ ἐξ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστὸς ζῶν λογικόν.* Itaque, quoniam Spiritus animae humanae incidentis divinam dignitatem non agnoscit, cogitur de s. Justino hanc in se haud verisimilem sententiam proferre (l. c. p. 329): „Von einer fortgehenden Einwirkung des Geistes auf die Christen weiss er indess nichts zu sagen“. Nae, etiam Tatianus, qui inter Justinum et Irenaeum locum obtinet, quamquam a Gnosticorum erroribus non prorsus vacat, in hoc quidem capite fidei catholicae testis apparet or. adv. Graecos c. 12: *Ἄντο πνευμάτων διαφορὰς ἴσμεν ήμεῖς, ὃν τὸ μὲν καλεῖται ψυχή τὸ δὲ μεῖζον μὲν τῆς ψυχῆς, Θεοῦ δὲ εἰκὼν καὶ ὄμοιωσις. Ἐκάτερα δὲ παρὰ τοῖς ἄνθρωποις τοῖς πρώτοις ἵπποιχεν.* Postquam vero Adam peccato commisso Spiritus jacturam fecit, hic jam solos justos homines inhabitat, ibid. c. 13: *Πνεῦμα δὲ τοῦ Θεοῦ παρὰ πᾶσιν μὲν οὐκ ἔστι, παρὰ δέ τοις τοῖς δικαίως πολιτευομένοις καταγόμενον καὶ συμπλεκόμενον τῇ ψυχῇ.* Attamen vide Münchner-Cölln, Dogmengeschichte I. p. 318.

<sup>2)</sup> Vide Suiceri Thes. sub voce τέλειος.

*Αὐτὸν πάλιν ὁ αὐτὸς Ἡσαίας διαστέλλων τὰ προειδημένα φησί· Πνεῦμα γὰρ παρ' ἐμοῦ ἔξελενόσεται, καὶ πνοὴν πᾶσαν ἐγὼ ἐποίησα... Ἐτερον δέ ἐστι τὸ ποιηθὲν τοῦ ποιήσαντος. Ἡ οὖν πνοὴ πρόσκαρος, τὸ δὲ πνεῦμα ἀένναν.* Eandem porro animae humanae et s. Spiritus differentiam ac praeterea hominis mali et gratia s. Spiritus destituti immortalitatem exhibet lib. II, 33, 5: *Πάντες οἱ ἐγγραφέντες εἰς ζωὴν ἀναστήσονται, ἵδια ἔχοντες σώματα, καὶ ἴδιας ἔχοντες ψυχὰς καὶ ἴδια πνεύματα<sup>1</sup>), ἐν οἷς εὑρέστησαν τῷ Θεῷ. Οἱ δὲ τῆς κολάσεως ἄξιοι ἀπελεύσονται εἰς τὴν αὐτὴν, καὶ αὐτοὶ ἴδιας ἔχοντες ψυχὰς καὶ ἴδια σώματα, ἐν οἷς ἀπέστησαν ἀπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος.<sup>2</sup>*

Jam vero cum hac de partibus perfecti hominis proposita doctrina ea concordant, quae Irenaeus in eodem contextu de divina imagine et similitudine ejusdem hominis perfecti docet. Dum iis locis, ubi merae naturae humanae partes essentiales respiciuntur, imago divina ad corpus (vel carnem aut plasma) et similitudo ad animam refertur, contra in contextu locorum, ubi hominis suprema destinatio ultimusque finis consideratur, imago quidem pariter in carne (vel plasmate), qua plerumque totus homo creatus comprehenditur, collocatur, at similitudo in mystica hominis conjunctione cum s. Spiritu, gratiae et vitae supranaturalis fonte. Significat ergo Irenaeus hac imaginis et similitudinis distinctione illud discrimen, quod temporis posterioris theologi vocarunt imaginem (vel similitudinem) naturalem et supranaturalem, sive donum Dei homini collatum naturale et supranaturale. Quamquam plerumque habitatione hominis per Christum redempti et in statum gratiae restituti de hoc capite disserit, tamen non prorsus desunt documenta, quibus evincitur, eum etiam de statu hominis, qualis ante peccatum commissum fuerit, veram catholicam doctrinam retinuisse. Velut lib. V, 1, 3: „Ex placito Patris manus ejus (Filius et Spiritus, cf. V, 6, 1) vivum perfecerunt hominem, uti fiat Adam secundum imaginem et similitudinem Dei“. Lib. IV, 20, 1: „Adest enim ei (Deo) semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram“. Porro creationis et sanctificationis, quarum altera ad Filium, altera ad Spiritum s. pertinet, facta discretione ibid. n. 2: „(Deus) omnia Verbo fecit et Sapientia adornavit“. Deinde fere ad formam catechismi Romani (P. I, c. 2, q. 19) accommodate, etsi magis universe dictum lib. V, 12, 2: „Oportuerat enim primo plasmari hominem et plasmatum accipere animam; deinde sic communionem Spiritus recipere“. Maxime vero s. Irenaei de statu primi hominis sententia elucet, quum de nativae sanctitatis jactura loquitur — confitetur Adam lib. III, 23, 5: „Eam, quam habui a Spiritu, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, et nunc cognosco, quod sim dignus tali tegumento etc.“ — aut quum finem incarnationis Filii Dei ingerit, lib. III, 18, 1: „ut, quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus“. Quibus denique locum insignem adjungo, quem ex parte jam supra

<sup>1</sup>) Illud, quod Irenaeus *ἴδια πνεύματα* appellat, hoc loco nihil aliud significare, quam diversam singulorum hominum sanctitatem diversosque gradus quibus Spiritus sancti participes facti sint, probe exponit Duncker l. c. p. 94 sqq.

<sup>2</sup>) His igitur supra propositis mirandum sane est, nec nisi certis quibusdam scriptoris opinionibus praejudicatis, quae in opere laudato passim (p. 10. 206) occurruunt, comprehendi potest, quod H. Ziegler (p. 203 sq.) contra Dunckeri praeclaram commentationem tuetur, illis librorum adv. haereses locis, ubi homini praeter carnem (vel plasma) solummodo spiritus attribuatur, hunc spiritum non virtutis et perfectionis conditionem et causam intelligendam esse, sed potius eam rationalem vim, qua efficiatur ex carne homo vivens suique conscientia et compos liberi arbitrii. Certo doctus vir ad notissimam antiquitatis Christianae et ipsius novi Testamenti loquela non advertit animum, quae totam hominis naturam ex corpore et anima conflatam, si Spiritu sancto, divino supernaturalis perfectionis et vitae principio, orbata est, carnis nomine significat, et a naturali corporis morte mortem animae sensu morali intelligendam distinguit. Eundem loquendi usum etiam s. Irenaeum secutum esse, jam ex iis, quae supra attulimus, conspicuum erit, quibus addimus ea, quae leguntur lib. V. 27, 2: *κοινωνία δὲ Θεοῦ, ζωὴ καὶ φῶς ... χωρισμός δὲ τοῦ Θεοῦ, θάνατος*. Porro lib. IV, 39, 1: „Bonum est autem obedire Deo et credere ei et custodire ejus praeceptum: et hoc est vita hominis; quemadmodum non obedire Deo, malum, et hoc est mors ejus“.

attuli, lib. V, 16, 2: Ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις ἐλέγετο μὲν κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγονέναι τὸν ἄνθρωπον, οὐκ ἐδείχνυτο δέ. Ἔτι γὰρ ἀόρατος ἦν ὁ Λόγος, οὗ κατ' εἰκόνα ὁ ἄνθρωπος ἐγεγόνει. Αἱα τοῦτο δὴ καὶ τὴν ὄμοιώσιν ἔργων ἀπέβαλεν. Ὁπότε δὲ σὰρξ ἐγένετο ὁ Λόγος τοῦ Θεού, τὰ ἀμφότερα ἐπεκύρωσε· καὶ γὰρ τὴν εἰκόνα ἐδειχνεῖ ἀληθῶς, αὐτὸς τοῦτο γενόμενος, ὅπερ ἦν ἡ εἰκὼν αὐτοῦ· καὶ τὴν ὄμοιώσιν βεβαιώς κατέστησε, συνεξομοιώσας τὸν ἄνθρωπον τῷ ἀοράτῳ Πατρὶ. Mira prorsus ex his rerum divinarum cognitio atque profunditas eluet: conspicimus quidem bona naturalia et supranaturalia primis hominibus concessa, sed longe majora bona cernimus per Christum salvatorem hominibus restituta et cumulata. Jam s. Augustini verbum in mentem venit: „O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem!“

Neque tamen est in proposito, hanc cogitationum seriem nunc pluribus persequi.

## **LECTURES.**

## A. ORDINIS THEOLOGORUM.

**Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.**

- I. Apologeticen tradet dieb. Lunae et Mercurii hora II.
  - II. Theologiam dogmaticam tractabit dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. X.
  - III. Repetitiones et disputationes de rebus dogmaticis instituet die Saturni h. X.

**Dr. Franc. Hipler, P. P. O.**

- I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit quinques per hebdom. hora VIII.
  - II. S. Augustini Confessiones interpretabitur bis per hebd.
  - III. Exercitationes homileticas et catecheticas moderabitur dieb. Martis et Jovis hora IX.

**Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.**

- I. Theologiae moralis partem speciale tradet dieb. Lunae, Martis, Mercurii hora IX.
  - II. Repetitiones et disputationes de theologia morali instituet die Saturni h. IX.
  - III. Historiam concilii Tridentini enarrabit dieb. Jovis et Veneris h. IX.

**Lic. Hugo Weiss, P. P. E.**

- I. Prophetas minores interpretabitur ter per hebdom. hora VIII.
  - II. S. Pauli epistolam ad Hebraeos explicabit ter per hebd. h. VIII.
  - III. Exercitationes aut Syriacas aut Arabicas instituet semel per hebd. hora definienda.

Prof. Historiae ecclesiasticae et juris canonici, quum renunciatus fuerit, lectiones indicabit.

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

### Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. M. Tullii Ciceronis de re publica lib. II et III interpretabitur ter hebdomade h. IX.
- II. Ovidii fastos interpretabitur bis hebdomade.
- III. Tertulliani apologeticum in seminario suo patrologico tractabit ter hebdomade h. IX.
- IV. Exercitationes metricas bis hebdomade instituet.

### Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

- I. Meteorogiam et Climatogiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Lunae et Jovis h. XI—XII.
- II. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Martis et Veneris hora XI—XII.
- III. Calculum differentialem et integralem tradet et doctrinam de integralibus definitis ad varias quaestiones applicabit diebus Martis et Veneris hora definienda.

### Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiam universalem a Caesare Augusto usque ad exitum Carolorum tradet ter per hebdomadem h. VIII—IX.
- II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas enarrabit bis per hebd. h. VIII—IX.
- III. Literarum in Prussia cultarum historiam exponet semel per hebdomadem h. VIII—IX.
- IV. De critica historiae tractandae ratione disseret semel per hebd. hora definienda.

### Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

- I. Psychologiam docebit diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. X.
- II. Metaphysicen tractabit diebus Martis, Jovis, Saturni h. X.
- III. Aristotelis libros de anima interpretabitur h. d.

### Dr. Jos. Krause.

- I. Psychologiam docebit ter per hebd. h. X.
- II. Historiam philosophiae tradere perget semel p. hebd. h. X.
- III. Exercitationes paedagogicas moderabitur semel per hebd. h. X.

03824

12

## PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Lic. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

—  
—  
—

## CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Nomina victorum et quaestiones in annum MDCCCLXXIII—MDCCCLXXIV propositae suo tempore renunciantur.

Bibliothec<sup>a</sup> Thom